

Omnes ch. in dñm tuū ex toto corde tuo.
iā tua. rex omībz iurībz tuī
ne tua: i proxīmū tuum
Dicit q̄ illi. Recte respōdit
i iures. Ille aut̄ uolēs iusti
m: dū ad ih̄m. Et quis est
m: nūc. Suspiciens aut̄ ih̄c
dicit. Hemo quidam descendebat ab
herim in ihericho: i incidit in latro
nes. Qui etiam despoliauerūt eum: et
plags impositis abierunt semiuuio
reliq̄. Ad idit aut̄ ut sacerdos quidā
cendit eadē uia: i uiso illo p̄teri
t. Similit̄ i leuita cum eēt secus
uā i uideret eum. p̄transiit. Sama
tanus aut̄ quidā iter faciens uenit
i eum. i uidens eum mīa motus ē.

Ma 397

St. Graec. in Oct. N. 103.

II 2a 168

PROPEMPTICA,
Ad
PAVLLVM
AGISBICE
PRAGENSEM,

*Ex Academia Lipsiensi
discedentem.*

SCRIPTA AB AMICIS.

Præfixum est Testimonium Illustriss.
Principis &c. Rectoris eiusdem
Acad. magnificentiss.



LIPSIÆ.

Michael Lantzenberger excudebat.

ANNO DOMINICO.



PHILIPPVS IVLIVS

Dei gratiâ

STETINI, POMERANIAE,
CASSVBIORVM ET VANDALORVM
DVX, PRINCEPS RVGIAE, COMES
Gutzouia, Leoburgensiumque nec
non Butouiensium Domi-
nus, &c.

RECTOR

Celeberrimæ Academiæ Lipsiensis.

*Vniuersis & singulis, quibus hæ tradentur lit-
tera, cum debitâ honoris significatione gra-
tiam & salutem.*

DEcet vnumquemq; , qui cura
salutis suæ & honesta hominum de se
existimatione afficitur, ita instituere
vitæ rationem modumq; , vt in propria potius
virtute, quàm in alieno præconio omnem
laudem positam habeat. Cum enim in ani-
mis hominum tantæ sint latebræ, tantiq; re-
cessus

S
E,
M
S
t-
a
e
e
s
n
-
s

cessus, vt penitus introspecti nequeant: Sa-
pissimè indicio falli, & coniecturâ aberrare
nos in æstimandis aliorum ingenijs & mori-
bus necesse est. Multùm etiam in aliorum
commendationibus tribui solet amor & be-
neuolentiæ, cum à naturâ profectæ, tum vsu
& consuetudine familiari conciliatæ. Deniq;
fieri semper non potest, vt coràm sint, qui de
vitâ & moribus ad alios testentur, siue voce,
siue litteris. Quamobrem veram laudem is
meritò consequitur, & gratiâ apud omnes
plurimùm pollere debet, qui domestico vir-
tutis & integritatis testimonio, præcipuè ni-
titur, atq; ita sese gerit, omni loco & tempore,
vt manifestè appareat, eum non tam videri,
quàm perhiberi & esse bonum, neque solùm
intelligere virtutum & honestatis officia; sed
ea quoq; magnificerè, & factis atque opere
præstare ac exequi sedulò & diligèter. Quan-
quam verò hæc, quæ commemorata sunt,
rectè & verè dicuntur: Ideò tamen impro-
banda non est consuetudo tribuendi honori-
fica testimonia Doctis & Bonis. Nam vt nunc
sunt tempora & mores, hominumq; de rebus
etiam optimis iniqua & præpostera iudicia;
imprimis opus est ijs, qui emergere cupiunt,
hoc quasi præsidio & adminiculo: Cum ordo
litteratus, vt salutaris & necessarius est con-
fociationi humanæ; ita non æquè gratiosus &



honoratus sit apud omnes. Vtile præterea est,
honorificè commendare eos, qui in se habent,
quod iustam laudem & prædicationem me-
retur. Ita enim DEVS autor virtutis ac sapi-
entiæ, qui in discentiũ ingenijs suo afflatu est
efficax, celebratur; Illi ipsi verò, quos dignè
commendamus, gloriã verã stimulati, a-
lacriore animo stadium, quod ingressi sunt,
decurrere annituntur: Tùm verò alij quoq;
exemplo exuscitati, eadem pietatis, eruditio-
nis ac modestiæ viã, pergere student. Vtrum-
que ergò probandum est in Iuvene, cùm ge-
nere, tùm virtutibus, eruditæq; doctrinæ copi-
præstantissimo, PAVLLO à GISBICE PRA-
GENSI, Poëta Cæsario Nobili, qui & toto vi-
tæ tempore, id operam dedit vnicè, vt virtu-
tis & pietatis testimonium domesticum se-
cum circumferret, atq; de se ederet ad alios.
Et nunc commendationem publicam à nobis
sibi tribui petijt. Quod officium nostrum,
cùm non solùm honorificum, sed & fructuo-
sum ipsi fore consideremus, ei libenter præ-
stitimus. Huc namq; venit à Cæsariã Maie-
state Dn. nostro clementissimo, singulari di-
plomate commendatus, ob vim ingenij sin-
gularem & eruditionem insignem. Cui non
modò accesserunt Illustrissimorum Princi-
pum Ducumq; litteræ commendatitiæ; sed
etiam virorum in omni doctrinarum genere
ex-

excellentissimorum ; quibus Poëta ingenio-
sissimus, fidus & lumen suæ patriæ, prædica-
tur esse. Idq; testantur ipsius scripta diuersa,
non vno loco edita in lucem, ex quibus inge-
nij acumen singulare, doctrinaq; insignis elu-
cet. Quamdiu hîc vixit, in moribus & vi-
tâ ipsius, quædam eximia grauitas apparuit,
in familiari doctorum conuersatione eruditio
præclara, cum cæteris virtutibus præcipuis
coniuncta. Diutiùs quidem hîc commorari
ipsi animus fuit ; sed rebus ità omninò postu-
lantibus præter opinionem à suis auocatus
est. Planè autem confidimus, non modò i-
psum suis ornamento & honori, sed etiam
Patriæ vniuersæ & Reipublicæ magno vsui
propè diem fore. Quod quidem vt euentu
prospero ratur nobis fiat, ex animo preca-
mur. Vniuersos autem & singulos, cuiq; de-
bitum honoris titulum præfando, clementer
& studiosè rogam⁹, vt hunc ipsum PAVLLVM
à GISBICE, ijs officijs quæ humanitatis
propria sunt, haud grauatè iuuent, ac cona-
tus ipsius laudatissimos, benignè ac beneuolè
promoueant, non dubitantes benè colloca-
tum iri, quicquid officiorum & studij in eum
contulerint. Nos etiam, quâ vicissim pote-
rimus operâ, in simili officiorum genere, gra-
tiosè vnumquemque prosequemur. Ad hu-
ius autem testimonij fidem firmandam, Ma-



gistratus Academici, quo modo fungimur,
Sigillum huic chartæ appendi mandauimus.
Actum Lipsiæ, pridie Nonarum Maij, Anno
Salutis per Christum reparatæ, M. DC. II.

*Philippus Iulius, ma-
nu propria.*



PAVL-

I.

PAVLLE quid externas abitum meditaris in oras,
 Teutoniciq₃ fugis rura beata soli?
 Nonné satis Clario tua labra liquore rigâsti,
 Et morum cultâ dexteritate nites?
 Nempè sacro VIRTUS te concitat aurea thyrso,
 Ut mores hominum factaq₃ nosse queas.
 Non illos sequeris, patriâ tellure latentes
 Qui malunt rotos consenuisse dies.
 Sunt tibi concessa Regumq₃ Ducumq₃ tabellæ,
 Quæ te commendant omnibus, & merito.
 Contigit hoc paucis, (magnus quos CAESAR amavit!)
 Quod tu sublimi non sine laude geris.
 Nunc igitur quò cœpisti, benè tramite perge;
 IOVA tuæ præsto sit comes ipse via.

Barptol. Bilouius à Bilovv, Com.
 Pal. Eq. Aur. C. Rom. P.C.

II.

Ad Currum

SIC te sancta Deo cohors,
 Custodes hominum, lucidaq₃ agmina,
 Cœlestisq₃ pater regat,
 Suppressis Satana fraudibus ac dolis,
 CVRRVS, qui tibi creditum
 Debes GISBICIVM, finibus Italis:
 Reddas incolumem precor,
 Et serues animæ dimidium meæ.

Saluus

Saluus vnde bono alite,
Et multas videas PAVLLE bono omine
Urbes & populos, solum
Et cœlum qui alijs climatibus colunt.

Ioachimus Tanckius Perleberg. Ph.
& M. Doct. P. L. Anatomes &
Cheirurgiæ Profefs. publ.

III.

GISBICE prastantem me te vidisse Poëtam
Lator, & ex animo gratulor ipse mihi.
Iucundus tecum mihi consuetudinis vsus,
Et facies tempus per breue grata fuit.
Elucens probitas in vultu, candor apertus,
Doctrinaq; decus, perplacûere mihi.
Es varias igitur quia discessurus ad oras,
Hoc abitu meritò tristor amice tuo.
Sed quia non aliter tua res hoc postulat, æquo
Dimitto te animo, & prospera quæque precor.
Vade vale, Deus æternus te ducat euntem,
Et longinquæ adeò sit comes ipse via.
Viue memor nostri, quamcunq; accesseris urbem,
Ipse ego inoblitâ te pietate colam.

M. Ioannes Albinus, Poëti-
cæ Professor.

IV.

Quid iuuat Aonidas, Belgarum PAVLLE per oras,
Sectari, & tractus ire per Occiduos?
Iam te finxerunt Charites, Musæq; receptum
Pleno lactârunt vbere Teuthonides.

Vnum

Vnum (inquis) superest votis; ut Principis ora
SCALIGERI, DOVSAE, LIPSIADAE vide
I felix; orbis sequere incluta LVMINA; Paulle,
Ut LVX, ut Patria sis IVBAR ipse tuae.

Aliud.

Mirabar, Diuas nusquam apparere Nouenas,
Et nusquam, specie tergemina Charitas.
Teuthonide excessit GISBICIVS hospes; is omnes
Abstulit hinc Musas, abstulit hinc Charitas.

M. Ioan. Fridericus Volfeshusius
Fr. P.L. Physiologiae Aristote-
licae Professor.

V.

ERgò tibi quoque mens alio sub sole iacentes
Terras, & doctos doctus adire viros?
Maeste animo: Namque illa humilis plebeaque mens est
Terra affixa, sua quae latet usque domi.
Sanctior haec, motum quae imitata volubilem olympi,
Hic etiam motum gaudet habere suum.
I, quondam utque habeas, quem sic imitaris, olympum,
Has pius, has felix itaque redique vias.

M. VVolfgangus Coruinus Fr.
Profess. Logices publ.

VI.

Sic te Paulle, penatibus
Digressum patrijs, munere Caesaris,

A S Signis

Signis atq; diplomate
Ornatum, ut patriâ iam procul, exteros
Visas, prouida TRINITAS
Indiuisa DEI sed tamen unitas,
Dextris auspicijs regat,
Conseruetq; anima delictum meæ.
Hæc & principijs tuis
Addat sine bono maxima premia,
Ut post mœnia Romuli
Perlustrata patris, regnaq; Gallia
Felix ad patriæ focos,
Dilecto redeas cum comitum grege,
Et cernas auibus bonis
PRAGENSEM Tripolin, quæ tibi gratulans
Post exhausta pericula
Applaudet vario munere carminum
Cum te sors reducem feret.
Inprimis precor, ut Corporis, ingenti
Rerum dotibus affluens,
Inseruire pijs subsidijs queas
Templis & patriæ Scholis,
Et proferre rei commoda publicæ.
Missi cœlitus Angeli
Assint assiduo præsidio tibi,
Quò mens te vocat in vijs
Cunctis, hospitij & regionibus,

Ne

*Ne quicquam noceat mali.
Non immanè furens ex Borealibus
Antris Spiritus Hippotæ,
Non nix, aut pluuio Iuppiter æthere,
Aut cum grandine fulmina,
Aut ignita vagi tela Hyperionis,
Claro missa meridie,
Aut nocturna leuis frigora Cynthia,
Vrentis grauidum caput,
Non latro medijs noctibus, aduenam
Audax ledere spiculis,
Aut fur depositos subdolos ædibus,
Perâ clepere nummulos,
Non hospes dapibus pestile toxicum
Miscens, aut nimio lucro
Emulgens loculis chara viatica,
Dura subsidium via,
Argentumque malis artibus aucupans,
Aut rem depositam negans.
Hæc iam dicta via, PAVLE, pericula
Et quæ dicere singula
Euterpe refugit, cœlituum chorus
Ate vertat, & omnia
Quæ mens sancta petit, fundat ab ubere
Cornu sors tibi prospera.
Vinas (interea quod superos precor)*

Canis

Ne



*Cani secula Nestoris,
Quin annos etiam Mathusala senis,
Nec te obliuio pectoris
Dilecti capiat, quo pius igneis
Ardor spirat amoribus.
Nam noui ipse DEVS mutua fœdera
Ardoremq; piūm probat,
Quem dum vita manet, nil dirimet mali,
Nec fortuna mihi grauis,
Nec fata ex animo surripient tuo.*

M. Melchior Leanus Thuringus P. L.
Ecclesiastes Annæbergensis.

VII.

PAVLLVS eras olim (paulum iocor) optime PAVL-
Notus enim paucō nomine Paullus eras. (LE,
Iam verò multā virtute celebris & arte,
Accumulas peregrè nomina multa tibi!
Nonnè igitur nomen multò tibi rectius esset,
POLLVS, quàm PAVLVS, dùm tibi Multus honos?

Simon VViblitius Osterburgensis,
P. L. scholæ patr. Rect.

VIII.

ET laurum atq; hederam Thyrsis plantavit eunti
GISBICI, dulcis μηροσωόν patria.
Hanc Venus, aſt illam iuueni, ſeruabis Apollo,
Ne noceat æſtus, ne noceat ūe gelu:

Neue

*Neue oculus malus, aut damnosæ morsus Echidna
Foetenti inficiant primitias animâ.*

*Cætera de se præstare ipse potens, aderit mox
Et Laurum superans, & superans hederam.*

*M. Samuel Scarlachiùs P. L.
& Med. Cand.*

IX.

V*idimus ingenij dotes, miramur, & in te
Magnus ob has nostro pectore surgit amor ;
Surgit amor longum posthac mansurus in ævum,*

*PAVLE, meis nunquam non memorande modis.
Pectora nunc ô si penitus mea cernere posses,*

Mox scio dicturum te mihi : quantus amor !

Sed magè nil dico, nisi quod mihi dixit amicus,

Flens vbi supremam redderet ille manum :

Sum tuus, & meus es : meus haud sum : nec tuus es tu :

Sed Deus est noster : cuius vterq; sumus.

*Heinricus Zenckfrey Lignicensis
Sil. P. L. & Med. Stud.*

X.

M*ascula quem virtus, generisq; propago patrit,
Hactenus ornarunt candidiore notâ :*

Quem metra fundendi satis ingeniosa facultas

Laurigeris dudum vatibus inseruit :

Quem Deus ille meis Fidius sociavit amicis,

Fœdere perpetuo, glutinioq; rato :

GISBICE, tene meis indictum versibus isthinc

Discessisse aliò, culte Poëta, sinam ?

Non

Non sino ! Paule, nouem suboles genuina Dearum,
Hoc breue, non lauum, sed leue carmen habe.
Oppida dum vario sub sole iacentia visis,
Et natalitij deseris arua soli.
Dum petis Hesperiam varijs ambagibus oram,
Et muros, rigua quos Padus ambit aqua :
Omnia letifluis applaudunt plausibus, atq;
Ausibus immodicis, latitijq; meris.
Sol fauet, inq; solum radiantia tela diei
Proijcit innubis luce micante poli.
Applaudunt volucres, & suauibus aera mulcent
Cantibus, vt te sic exhilarare queant.
Florida Flora suos serit in viridaria flores,
Mellifluo vt nares afflet odore tuos.
Cornigeri saliant Fauni, Satyriq; petulci,
Quod viret arboreis Silua nouella comis.
In tacitos etenim spaciaturum esse recessus
Te sperant animi mente gemente sui :
Vt doctus resono mediteris carmina plectro,
Concelebres Panna glabraq; labra tua.
Adde, quod & Musas audiui orare Vianam,
Vt tibi migranti prospera quaeque cadant.
Hoc ita gratanti coetu, quis nollet adire
Belgium, & Herois Gallica regna viri:
Perq; Sabaudeam regionem appellere terras
Hesperias, Italum conspicuasq; domos.
Quod si forsan erit tibi desorbere necesse
Nonnihil insoliti, docte Poeta, mali ;
Leniet aspectus, doctorum & dulce virorum
Alloquium; varijs & monumenta locis.

Fatis

Fatis vade ratis, vates generose, recedat
Ne Theodoricus corde tuopte, caue.
Interea tabula hæc insculpi verba parabo,
E plano vt possint absq; labore legi:
Quisquis amicus ades, pro Paulo vota Poëtâ
GISBICE, sincero pectoris ede tholo:
Auxiliatrices vt sentiat ætheris alti
Suppetias, concors officiumq; virûm.

Georgius Theodoricus VVur-
censis Mysius. P. L.

Aliud.

L Ipsica cùm rarò peragrent sola Daphnide cinctâ
Virginèâ doctas, Paulle Poëta, comas:
Exilit hinc hilari Philyréa iuuenta vigore,
Cum licet aspectu liberiore frui.
Hæc quoq; causa subest, Mysij cur Paulle Lycéi,
Ingressum lato gratuler ore tibi.
Det DEVS, vt quoquò comitante cohorte Dearum
Aonidum venies, experiâre bonum.
Et quia diuersas meditaris visere terras,
Prospera fata precor, signa benigna precor.
Vade bonis aubus, melioribus atq; recurre:
Esto mei q; memor tempus in omne. Vale.

G. Th. VV.

αὐτοχρησὶ

INSI.




INSIGNIA P. à G. &c.



*Hæc ego GISBICIVS, non Marte, sed Arte pa-
rata,*

*Auspicijs magni CÆSARIS, Arma gero.
Iactet anos at auosq; alius, vel Nobile nomen:
VIRTVS est solâ atq; unica NOBILITAS.*

F I N I S.



ULB Halle 3
002 629 992



(F)

55

2L

AG 15 44 07


VD 77



nam si ex lege hereditas: nam
ex remissione. Abzathe autem p remissione
onem donavit d's. Quid igitur legi
ter transgressionem posita est: donavit
nunc semini cui remissum
p anglos in manu mediatoris. sed
tunc autem unius non est d's autem unius
est. Lex ergo ad usus pro ista de
Absit. Si enim data esset lex que possit
vivificare: vere ex lege esset iustitia
conclusit scriptura omnia sub peccato
ut promissio ex fide ihu xpi daretur
dentibus. **Ex.** Respice domine in iustitiam

Aevia.


ultimus domino



PROPEMPTICA,
Ad
PAVLLVM
AGISBICE
PRAGENSEM,
*Ex Academia Lipsiensi
discedentem.*

SCRIPTA AB AMICIS.

Præfixum est Testimonium Illustris.
Principis &c. Rectoris eiusdem
Acad. magnificentis.



LIPSIÆ.

Michael Lantzenberger excudebat.

ANNO DOMINICO.